


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis decimâ-sextâ Februarii M. DCC. XLI.

M. MICHAELE-PROCOPE COUTEAUX,
Scholarum Professore designato, Doctore Medico,
Præside.

An eluendæ Cacochymiæ, tepidæ potus?

I.



VITA in sanguine. Sanitas & morbus ab eodem fonte. Sanitas, in legitimâ ipsius principiorum inter se proportione, justo æquilibrio, & moderato circuitu consistit: morbus contra. Primò vitiantur fluida. Quæ solidas partes lædunt incommoda, à fluidis alteratis ortum trahunt: sic malorum omnium reus sanguis. Solâ quanti-

tate nunquam, qualitate ſemper peccat. Morborum ergò prima, antecedens, univerſalis & unica cauſa, Cacochymia. Male cum ipsâ plethoram junxerunt veteres; ſi per hanc, nimiam laudabilis ſanguinis copiam intelligas, nulla eſt: ſi vitiati, adeſt: ſed Cacochymiæ effectus eſt & ſymptoma. Hominem concipitò bene ſanum & incolumem, cujus in vaſis nec deeſt nec redundat humor. Hunc putas unquam plethorâ laboraturum abſque antecedente Cacochymiâ? Erras. refer animum ad veritatem. Mechanicas corporis noſtri leges attende. Ubi naturali motu perfectus in machinâ fluit ſanguis, ad pondus & juſtitiam in glandulis fiunt ſecretiones; non plus æquo bilis in hepate, non plus ſucci pancreatici in pancreate, non plus fermenti in ventriculo ſecernitur. Hinc ea recte digeruntur alimenta quæ ad vitam neceſſaria. Si nimis gulæ inſerviat; major equidem aderit chyli, major quoque ſanguinis, ſed vitiati, copia. In Cacochymiam igitur ut in communem morborum omnium matrem inſurgendum; verum prius eſt noſce quam agere: ſicut boni ignoti nulla cupido, ſic & mali ignoti curatio nulla.

I I.

MASSAM ſanguineam vitio arguit Cacochymia. Vitiati ſanguinis male duplex vulgò aſſignatur cauſa antecedens. Unica eſt coagulatio. Diſſolutionis parens eſt: hæc fieri nequit niſi præceſſerit altera. Diſſolutum vocamus ſanguinem, ubi nullo amplius inter ſe nexu devinciuntur ipſius partes. Divulſionem illam fermentatione, fermentationem hanc coagulatione produci, docet Ars Chimica. Alkalium poros occludunt ſalia acida; hinc coagulatio. Occluſi ipſorum pori liberum materiæ ſubtili negant tranſitum: hæc undequaque iter quærit, totis expedire ſe conatur viribus; hinc fermentatio. Variis ſuccuſſibus plus nimis extenduntur & à ſe invicem ſegregantur partes; unde diſſolutio. Ex feroci acidorum cohorte oriuntur hæc omnia. Superfluos itaque frangat & eliminet, qui Cacochymiam eluere contendit. Sublatâ causâ tollitur effectus; ſed hoc opus hic labor eſt.

I I I.

IN eluendâ Cacochymiâ duo ſpectanda ſunt. Frangenda ſalium acumina, eliminandi ſales noxii. Ut hoc præſtent medicaſtri ad innumera confugiunt remedia; modo Alkalina, modo abſor-

bentia, modo purgantia præbent. Profunt iſta; conceditur: ſed quid tanto remediorum apparatu neceſſum eſt, ſi unus, ſimpliciori & placidiori, meliùs, tutiùs & jucundius ſolvatur morbus? Non numero ſed virtute ſanatur. Inter varia remediorum genera, præſtantiora, quæ ſimpliciora, quæ mitiora. Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci. Quæris quodnam ſit ſimplex illud & gratum Cacochymiæ ſpecificum? Aqua tepida. Rides? Ipſius indolem & dotes attento animo perpendas, intentum habebis.

I V.

MEDICAMEN illud, quo, ſublatâ morbi causâ, ſanatur æger, ſpecificum audit. Quidni & aqua tepida? Ipsâ Cacochymiæ cauſam eliminari patet ex illiûs analyſi. Aqua eſt corpus fluidum, particulis conſtat lævibus, anguillaribus, laxo nexu inter ſe junctis, jugi motu concitatis. Igniculis leniter agitatæ anguillares, quoſvis ſalium poros facile ſubeunt, diſtendunt, diſſolvuntque. Solutos ſales excipiunt per aquam diſſeminata vacuola. Exceptos lympha nativâ fluiditate devehit. Sic, reſtituto naturali ſanguinis circuitu, abſcedit Cacochymia, conſurgit valetudo. Sed, inquies, hæc eadem producere valet calidior, frigidiorve. Fac ſit. Prudentis non eſt viatoris, horrendis undique circumdatam abyſſis viam conſectari, cum alia trita & expedita patet. Quot & quanta ex nimio calore & frigore immineant pericula, experientia demonſtrat. In medio ſtat virtus. Unde non immerito ſanitatis tuendæ gratiâ, potum ſanguini tepore analogum, jubet vetus adagium.

V.

QUI ſanitati infenſiſſimam oppugnare contendit Cacochymiam, eam in ſanguine quærat; ſub ſalis acidi nomine deliteſcentem reperiet. Hoc expugnare conetur; verum caute ſe gerat, ne cadens omnia ſecum rapiat. Plus aliquando prodeſt, plura in bello præſtat induſtria quam impetus. Facilius & ſecurius fraude quam vi debellantur hoſtes. Sagaciter igitur, blande, placide, conſulat valetudini, qui Medici nomen ſibi vindicat. Ea exhibeat remedia quæ in ægrorum ſolatium & levamen, abſque ullo futuro diſcrimine, vergere poſſunt. Hujus indolis eſt aqua tepida. Salium acidorum acumina implicare & frangere, ſat non eſt; inſuper

eliminanda. Nemo planè victor, nisi fugatis, dispersis & penitùs deturbatis omnibus hostium copiis. Alkalinis, absorbentibus intricantur sales acidi, adjunctis purgantibus foris detruduntur: sed non multiplicanda sine necessitate entia, nec remedia. Utroque solo fungitur officio aqua tepida. Ad hanc itaque confugias. Nec tibi laborem faciat insulsæ plebis adagium, aquæ dulcis Medicinam fastidiens. Cantet gallus. Modo convalescat æger, de cæteris non laborandum.

Ergò eluendæ Cacochymiæ, tepidæ Potus.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS-DAVID HERISSANT, Rothomagæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.